B. N. C
FIRENZE
1042
20

Digitized by Google

1042-20

ORATIO
HABITA VENETIIS,
IN ACADEMIA DODONAEA,
A' CAROLO PATINO,

EQUITE D. MARCI, DOCT. MEDICO PARIS.

IN ARCHILYCEO PATAVINO,

PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE,

DIE I. JUNII M. DC. LXXXVII.

IN ÆDIBUS MAUROCENIANIS,



PATAVII, M. DC. LXXXVII.

Ex Typographia Seminarii.

SVPERIORVM PERMISSV.

1042.20

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO D.

D. IOANNI STANISLAO
A SBOZIN SBOSKI,
SERENISSIMI REGIS AC POLONIÆ REGNI

AD SERENISSIMAM REMPVBLICAM VENETAM

LEGATO EXTRAORDINARIO,
EPISCOPO PRAEMISLAVIENSI &c.

CAROLVS PATINVS.

Abſit alteri quàm Tuo nomini hanc Orationem dicare, Excellentiſſime ac Reverendiſſime Domine: Tanti quippe ſplendoris eſt, ut Carpathios montes, Danubium, Alpeſque, ne maria dicam, ſuaviſſimis radiis illuſtraverit, priuſquam Te orbi Veneto appariturum ſciremus. Hoc tandem Virtus præſtitit tua, ut inter tot eximios Poloniæ Proceres, unus ab invicto Rege eligereris, qui ſacrum in Turcas fœdus firmaturus, Venetias amandareris. Sereniſſimæ hujus Reipublicæ mores, quibus nihil honorificentius, nihil amabilius excogitari

A 2 *poteſt,*

poteſt. Te non minus Regiè quàm amicè excipi voluerunt; Muſæ noſtræ, hilaritatis publicæ participes, ſeſe continere ac tacere nequiverunt: Quin Academiæ Dodonææ barbiton exercere curaverunt, & unumquemque pro viribus Te laudare, à Te videri, audirique juſſerunt. Mihi dotibus quidem infimo, at ſupra cæteros gloriæ tuæ obſervantiſſimo impoſitum eſt à Principe, primùm loqui, & Parnaſſi noſtri alacritatem exponere: Publicam hanc facere conatus eſt meus Patavio Venetias volatus, nulla Brentæ noſtræ mora, nulla prohibente temporis anguſtiæ. Ipſa hora acceſſi, qua Te ſuſcipiebat Hadriaci maris Regina, qua te optatiſſimo gaudere inchoabat. Pietati, ſalutique publicæ conceſſis horis, inter tantas urbis delicias, Caſtalidum noſtrarum immemor non fuiſti, quin Te ipſarum comitem aſſiduum præſtitiſti, ut non injucundè miratæ ſint tanti, præter ſuum Apollinem, Magnatis ſocietatem.

Ad Tuas manus eadem, quam audiſti Orationem recurrit, ipſo animo ſcripta, quo habita, devotiſſimo & obſequentiſſimo: Illam ſuſcipere ne graveris, quam placere tantum opto, quantùm amorem in me tuum conſervare mihi ſtudeo. Vale.

Patavii, Id. Iun., qui Muſis ſacer eſt, MDCLXXXVII.

ORA-

ORATIO.

BEnè ac ſapienter Majores inſtituerunt, ut rerum agendarum ita dicendi initium à precationibus capere: Verùm quales illas & quibus fundendæ ſint, ut omnium ſæculorum Oratores varios variis commendaverunt, ita me dubium hærentemque in ipſo limine detinent. An Mercurium invocandum mihi proponam, Eloquentiæ quidem parentem, ſed mercatoribus, autolicis, ne pejora dicam, Numen propitium. An Herculem illum è Varronis XLIII. Gallicum nuncupatum, ut auditorum aures catenis aureis ſibi alligantem, ſic eorumdem præcordia, ſuaviſſima dicendi gratia rapientem? Non profectò, cùm muliebriter deluſus, miſerabiliter tandem veneno & igne perierit. An cum ſuo Apolline Muſas, eruditoſque Genios, privatæ ut ajunt felicitatis præcurſores, veriùs Clientum ſuorum carnifices, inania plane numina, & veris voluptatibus infenſa. An Jovem è trecentis hujus nominis, potentiſſimum fulminum jaculatorem, adulterum, inceſtuoſum, Virginum ſtupratorem, & formoſarum fere omnium mulierum Virum? Proh pudor! An denique cœleſtium cæterorum cohortem à veſana Antiquitate cultam, eo nomine peſſimam, quòd flagitiorum omnis generis conſcia aut rea, fragili hominum naturæ, ſcelerum exempla dediſſe non erubuerit?

Quibus itaque precationes noſtræ erunt inſtituendæ, comperta Immortalium iſtorum inanitate? Non eſt quod alibi quæram, dum ſpirantia intueri licet Sapientiæ oracula, belli paciſque Genios, æquiſſimos felicitatis noſtræ arbitros, & ſalutis publicæ Antiſtites. Nec alium nunc juvat invocare præter Te, Excellentiſſime Legate, tot heroicis decoratum dotibus, in ſacro tuo pectore ut in tribunali ſuo quieſcentibus: Te profectò felicem qui, quæ optant ſinguli, collecta tenes. Hinc mihi ſicut Agathoni apud Platonem timor accedit, quem Socratis præſentia adeo terrebat, ut vetante pudore, perorare non ſuſtinuerit, cùm abſente eo, mille hominum myriadibus audaciam ſuam palam feciſſet.

Parendum tamen eſt Illuſtriſſimo Academiæ Principi, me jubenti in tantorum Heroum conſeſſu verba facere, eaque non determinato alicui argumento obligata, ſed ad nutum planè & arbitrium compoſita. Tiberio ſe ab orbis regimine excuſanti objecit, apud Tacitum, Aſinius Gallus, partem ſibi eligere poſſe, cujus tutelam ſuſciperet; at ille, Nequaquam decorum pudori ſuo quidquam legere, cui in univerſum excuſari mallet. Quod callidè verſutus Imperator, id ego ſincerè tenuitatis meæ conſcius profiteor, feliciùs mihi ſucceſſurum, ſi tantum declinans honorem, tranquillitati privatæ ſi-

lens conſulerem. Verùm Superioribus potiùs parendum eſſe quàm mihi proſpiciendum æſtimavi: Iis imperium Dii dedere, nobis qualiſcunque obſequii gloria relicta eſt. Pompejum præterea navigare neceſſe eſt, eumdem vivere non eſt neceſſe.

Decurrentis ſæculi gloriam, Illuſtriſſimi Principis noſtri animo adeo infixam eſſe ſcimus, ut anteactorum ullam ei æquiparari poſſe ex immenſa hiſtoriarum notitia collegerit, ac inde ad utram partem traducendam reconditæ eruditionis Academicis, diſceptandamque tradiderit. Rationem temporum, argumentique gravitatem hos periitiſſimè inveſtigaturos nemo dubitet; aut ſi quis ſit, patienter illos audiat, præceptis ac exemplis problema illico ſoluturos. Ego quidem velut inter anſer olores, quædam delibare & in medium proferre conſtitui, quibus hujus temporis admirabilitas, non minor ac ſuperiorum ſæculorum videatur, ſi modò benevolas aures concedere dignemini.

Omnibus Ægyptiis cæterorum hominum ſapientiſſimis antecelluiſſe Rhampſinitum eorum regem, circa Trojani excidii tempora, autor mihi eſt Herodotus, *in Euterpe*, mirabilem hanc ejus contexens hiſtoriam. Cùm ei ingens ſuppeteret pecuniarum vis, collocandis illis extructum eſt lapideum ædificium, inſidiante tamen ita Architecto, ut è pariete lapis artificioſiſſimè ſubduci poſſet: Moribundus ille ſecretum duobus filiis aperuit, quò locupletiſſimi pro lubitu evaderent. Subinde factum ut, amoto aliquando lapide, pecuniæ multæ ad arbitrium expilatæ fuerint. Obſtupeſcenti Regi ob imminutum furto theſaurum, ſalvis ſignis obſeratum, in mentem venit laqueos vaſis auro plenis circumſtruere. Nocte ſequenti fratrum alter illis peſſimo ſuo fato irretitus, alterum vocavit, juſſitque ut ſubitò ſibi caput abſcinderetur foraſque deportaretur. Majori junior obſequutus eſt, & adaptato induſtriè lapide, caput ablatum, clamque terræ mandatum. Rhampſinitus, cùm in gazophylacium veniſſet, implicatum ſuis vaſorum laqueis truncum deprehendit, fruſtra quæſito capite, illum publicè ſuſpendi juſſit, adhibitis cuſtodibus ſi quem aut lacrymantem aut miſerantem vidiſſent. Expoſiti cadaveris ignominiam mater perferre impotens, ſuperſtiti filio præcepit, qualibet machina liberaret, ſecus ſe omnia Regi aperturam. Fruſtra reluctans filius, tandem aſinos eò deduxit utribus vini plenis oneratos, & revulſis cautè ligaculis, aliquid effluere paſſus eſt. Iracundiâ & querimoniâ ſimulatâ, auxilium à vicinis Cuſtodibus imploravit, commodè impetratum, non ſine multiplici hauſtu. Se tandem ebrium fingens, utrem illis donavit, alterumque primo addidit, quò verè ita obruti ſunt, ut licuerit fratri fratris truncum deligare, aſino imponere, domumque occultè reducere: Sic matri ſatisfactum, ſic Regis cuſtodia iterum eluſa. Rhampſinitus autem (quò ſtulta curioſitas impellit), filiam ea conditione proſtituit, ut à procorum quolibet quod ſolertiſſimum

quod

quod ſceleſtiſſimum flagitium feciſſet, reſciret. Illam etiam fur adivit, induſtriam exponens quà gazam violaſſet, fratris cognitionem reſecto capite celaſſet, cuſtodes feſelliſſet, ſuſpenſique truncum matri reddidiſſet. His auditis, exultans Regis filia, furem manu apprehendere tentavit; at is mortui manu quam ſecum deportaverat porrecta, curioſam eluſit, & ſecurus abiit. Tanta audacia ad ſtuporem perterritus Rex, ad extremum edixit, furi factam gratiam, ſi prodiret; qui cum Regi ſponte magnanimiterque ſe permiſiſſet, mira ſui admiratione concitata, Regis filiam ut hominum ſolertiſſimus in uxorem adeptus eſt.

Longam fortaſſe non porrò inutilem hiſtoriam adduxiſſe me arbitror, quam cùm admirandam ſexcenta luſtra cenſuerint, minùs tamen eſſe mirabilem iis quæ paſſim contingunt, mirabiliora proculdubio Ægyptiis futura, ſi hodiernis barbaris ſapientiſſimi Ægyptii ſubſtituerentur, declarare animus eſt.

In ſicco Aborigenum ſolo conditam urbem, terrarum Deam, tandemque ac gentium Dominam, mundi caput, cujus nomen declarari nefas, Deos omnes inter ſua mœnia avocaſſe, non ineptè mirarentur Ægyptii; quæ cùm Europæ, Aſiæ, & Africæ leges dederit, temporum decurſu aliquando victa, diruta, incenſa, imperium porrò retinuit, illudque adeo auxit, ut majus eſſe nequeat. Opibus olim & corporibus præfuiſſe docent hiſtorici, nunc animo & conſcientiæ, ut nihil committatur, dicatur aut cogitetur, cui jura non ponat. Mirandum profectò imperium eſt. Mirabilius huic præeſſe Pietatis Virtutiſque jubar, ſanctiſſimis moribus, INNOCENTIUM, omen in nomine, qui ſive in receſſu, & privato Lare ſe contineat, ſive Solis inſtar lucem in conſpectum populorum explicet, ſe his prodeſſe magis quàm præeſſe gaudet: Qui in vitia magis quàm in homines animadvertere, & peccatis quàm peccatoribus iraſcatur. Qui ſe divinas leges acriter tueri, orthodoxamque fidem quàm propium imperium propagare triumphat. Habeant Planetæ ſtellæque Solem ſuum, ſuum & habent Chriſtiani, cœleſti fulgentiorem præſtantiorem, quia ſine maculis. Hactenus mirabile viſum eſt, à ſummis Pontificibus cœlos ad hominum ſalutem apertos eſſe, inde diſperſa non Pandoræ dona, ſed quæ ad æternam felicitatem deducerent: Mirabilius eſt ſanctiſſimum noſtrum INNOCENTIUM, præter cœleſtes theſauros munificentiſſimè indultos, privatas etiam arcas ſuas aperuiſſe, quibus debellandis fidei hoſtibus, milites conſcriberentur, commeatus abundarent, ſtipendia ſolverentur: Quibus Chriſtianorum ſpes erigeretur, belli felicitas ſuccederet, Sacroſanta Religio propagaretur. O magnanimum Pontificem! O Virum ſanctum immortalitate digniſſimum, & venturis ſæculis non minùs admirandum quàm imitandum.

Quan-

Quanquàm theſauros ſuos effudiſſe pro Religionis tum columine, tum ampliatione, tanto Pontifici non ſatisfuiſſet, ni obſcuras Principum ſimultates curaſſet deponi, effecit ut conjunctis, & in unum conſpirantibus animis & armis, horrendum illud ac teterrimum deleretur monſtrum, quod triplici imperio ſuperbiens, regnis XLII. & civitatibus quater millenis, toti orbi ruinam ſervitutemque minabatur.

Loquatur primùm Melita, ſolis catellis olim clara, mercatorum Phœnicum refugium, & anguſtus ſcopulus, nunc bellatorum flore undique conquiſito adeo illuſtris, ut ſtemmatibus etſi plurium imaginum, minùs quàm militari fortitudine, Turcarum excidium, atque Chriſtianorum propugnaculum nuncupari mereatur. Hinc certè non aliter pro aris ac ſi pro focis ageretur pugnavit, Et equitum ſuorum famam Chriſtianis adeo gratioſam, Turcis adeo terribilem ſtabilivit, ut Corone, Methone, Pyluſque, quamdiù Crucem Divique Marci ſigna adorabunt, quod æternum fore autumare licet, Melitenſis auxilii gratiſſimam habituræ ſint memoriam.

Majori publicæ utilitatis ſubſidio ſe geſſit Magnus Hetruriæ Dux, conceſſis ad Orientalem expeditionem omnis generis navigiis, fortiſſimorum militum refertis. Jamdudum illa Chriſtiani nominis hoſtibus cognita erant; ut non ita barbarè ſæpè dixerint iſti barbari, ſe magni Ducis magis quàm magni Dæmonis triremes formidare.

An Divino nutu an Pontificia autoritate, ne dicam felicitate, ad publicam utilitatem moti fuerint Principum animi, quibus nullum erat cum Porta Ottomanica diſſidium, non auſim aſſerere. Imprimis memoretur potentiſſimus ille Rex, ab Orthodoxa fide Catholicus nuncupatus, cujus regna ſpeciatim enumerata titulos in immenſum producerent, cujuſque magnitudo non aliis limitibus quàm Solis ortu atque occaſu definita eſt. Æterna ſui ſepulchra, barbara pyramidum miracula intelligo, à tot annorum millibus exſtruxerunt Ægyptii, quibus & populos occuparent, & collectam pecuniarum vim magnifico immanique impendio ſpargerent. Mirabilius quid Hiſpaniarum Monarchæ accidit, in cujus favorem divina providentia orbem detexit, ut non amplius ſit terris ultima Thule. Meliori enim fato populorum multitudini conſulere theſauroſque ſuos ſpargere licuit, ut non ſecus ac Nicotiana, ſtupendum dictu, centum millia ſeminum pro uno rependere ſolita ſit; ſic ſolus Potoſius Peruviæ mons, milliones auri argentive, majori & locupletiori uſura reponat. Adquiſita deinde & ampliata in immenſum regna: Et quod majus eſt, innumeris barbaris, aut idololatris, aut nil de rebus divinis ſentientibus, quâ itur ad cœlum viâ, monſtratum. Magnis Hiſpanorum animis, gloriæ & laudis quàm lucri avidioribus, communem S. Religionis hoſtem laceſſere conveniebat: Hinc

miſſæ huc & illuc copiæ , equeſtres pedeſtres ac maritimæ , clariſſimi iſthinc nobiles , fortes illinc alii , quos aliquando famoſæ maculæ notaverant, omnes maximâ ſui gloriâ, in Hungaria, in Peloponeſo, in Dalmatia, optimè meriti.

In tota Ægyptiorum hiſtoria nihil occurrere arbitror quod Britannicis rebus nuper geſtis æquiparari queat, Fortunam nullibi terrarum luculentiorem ſui admirationem oſtendiſſe. FIDEI DEFENSOR ante ſæculum nuncupatus, eamdem paulò poſt Henricus ſummo impetu violavit. Eduardo dogmatum ut regni hærede propediem mortuo, ad regiam ſellam aſcendit Catholica Regina , Regi Catholico Philippo malè nupta. Ei ſucceſſit ſoror Eliſabetha , eo majori odio res Catholicorum proſequens, quo ardentiori graſſantem cultum Romano infenſum compeſcere Maria tentaverat. Biennis Jacobus fumante adhuc materni ſanguinis referto pegmate, carnificis manu miſerabiliter effuſi, ut nidificans Halcyon turbulentiſſimam regni tempeſtatem, quaſi amandatis ad viciños procellis admirabiliter ſedavit. Quanta deinceps rerum viciſſitudo in ſcenam prodiit! Hujus filius , optimæ indolis Rex, & qualem multi deſideraſſent, nefandæ perduellionis ſucceſſu, ſua calamitate orbem ita perculit, ut laboratura ſit annalium autoritas fideſque perſuadendis poſteris, quod vidimus fabulam non fuiſſe. Ad ferale theatrum protractus Rex, parricidiali Judicio, carnificis manu, in conſpectu omnium , in aula ſua , ſecuri percuſſus eſt. Tragœdiam exceperunt factioſorum leges, ab exlego furore tumidaque impietate ſcriptæ, quibus delendis, vix ignis bellum peſtis ſufficere videbantur. Hiſce etiam finis datus eſt, ultrice Nemeſi reliquias ſeditiorum diſpergente, & Carolum infelicis Regis filium ad ſolium reducente : Majus quid & mirabilius ſucceſſit . Omnium ordinum conſenſu Fratri ſuperſtiti habenę regni feliciter traditę ſunt; oppreſſi maturè hîc & illîc perduellium impetus, ſupplicioque affecti ii ſoli quos vivere tutum non erat . Miratur jam triplex Britanniæ regnum , ſuum Monarcham , Catholicam fidem profitentem & ampliantem, ipſo opere ſubjectis parcentem & ſuperbos debellantem, utrinque triumphantem.

De florentiſſimi Galliarum regni miraculis diſſerendum mihi foret, ni convenientiori ſilentio alienigenis ea cenſerem committenda. LUDOVICUM Regem , amici hoſteſve, verbo dicam , omnes orbis incolæ MAGNUM dixerunt , quem ut alterum Jovem OPTIMI θεῶν mereri noverant. Supremum Numen hunc patrem triumque Nepotum avum eſſe voluit, ùt tum ſibi tum regno nullum deeſſet felicitatis columen, nulla ſpes deſideraretur. ADEO DATUM porrò fata fere rapuerant , ni lacrymis ac precibus ſalutem ſui Tutoris quàm Domini, impetraſſent populi , quo ſalvo Chriſtiana res quidpiam detrimenti capere non poterat.

Ad

Ad LEOPOLDUM Auguſtum properare liceat, tanto feliciorem quanto oppreſſioni viciniorem, integritatis innocentiæque exemplar. Principum facta cunctis mortalibus, eò magis ſunt expoſita, quò ab excelſiori loco prodeunt, nulla tamen, vel minima piiſſimo Cæſari labes unquam inuſta eſt, curam impendenti populis aut otia Muſis. Magnanimitatem ille ſuam privatim occupare delectatur, ſi quando coronas aſſerendi, Res publicas confirmandi deficiat occaſio, quibus publici privatique juris vindex ab univerſis appellari meruit. Turcæ interim barbari, terræ filii, non aliam quàm utilitatis religionem colentes, idolum hoc politicum unicè ſpectantes, & rationem ſtatus magis quàm ſtatum rationis, fœderis non dicam immemores ſed violatores, impetu violentiſſimo Viennam aggrediuntur, obſident, conquaſſant; Cæſareas regiones, aut necatis, aut abductis in ſervitutem populis, diripiunt vaſtantque, & ſæviſſimis facinoribus ferro ac flamma totam Germaniam terrent. O immanem ambitionem! ò trux imperium! Chriſtianorum regiones tanta aviditate devorans, ut omninò junctis viribus tantæ potentiæ obſiſtendum ſit, ne ſuccumbant ſinguli, & calamitas univerſos obruat. Illis profectò accidet, quod Romanis prædixerat Livius, qui tot populis libertatem eripuit, tandem & ipſe populorum vim non effugiet, æternamque illis ſervitutem ſerviet.

Atque profectò non procul abeſſe videtur augurii confirmatio, imminuta & quaſi extincta terribilis potentiæ Turcicæ fama. Neſciebant tot tantæque Ottomanicæ copiæ, ex Europa Aſia & Africa ſelectæ, devorandis Hungaricis Auſtriacisque ditionibus deſtinatæ, ſe ſuo ſanguine ſacrilegam anteacti fœderis ruptionem fœdè redempturas, ſe quò plures & potentiores forent, Chriſtianorum triumphum ampliaturas.

De Te verba fieri jam patiaris, INVICTISSIME POLONIÆ REX, qui labantem Cæſaris ſpem relevaſti, afflictas Chriſtianorum res reſtituiſti, Germaniam protexiſti, Turcas profligaſti, & æternam nomini tuo gloriam conciliaſti. Sobieskius ad Cotzinum immanem barbarorum numerum fortiter fugaverat: Rex ille, Viennam duriſſima obſidione vinctam Germaniæ, ne dicam Occidentalis imperii metropolim, momento liberat; non ſecus ac Solis adventu, nivibus brumalibuſque frigoribus vindicari ſolet terræ planicies.

Quid veſtri nominis ſplendori deeſſe cenſetis, Juſtiſſimi, ut cum Strabone loquar, nunc verò cum Europa tota, Fortiſſimi Poloni, quorum magnanimitati fortibusq; factis, ſuam ſalutem Vienna, ſuam ſecuritatem Germania, ſuam quietem cęteræ Chriſtianorum Provinciæ ſe debere profitentur. Trophęum in Calembergii montis apice ad æternam Polonici auxilii memoriam erigatur, nulla unquam ſacrilega manu delendum. Monumentum ęre perennius promeritos eſſe vos, Heroes

roes generoſiſſimi, non ad Viennæ ętatem duraturum, ſed quandiu ſtabit orbis machina ponderibus librata ſuis, veſtræ gloriæ teſtimonium.

Gloria Sarmatica ſe tollet in æthera Gentis.

Ad Te redeo, Serenifs. & Potentifs. Rex, vivas diù qui æternùm vivere mereris : Vivas in Regia tua ſobole , è qua cœlo favente , æterna conſequetur Regum ſeries . Vivas Tibi, Tuis, Confaderatis, quin delendis tum Polonici tum Chriſtiani nominis hoſtibus diutiſſimè vivas, & de noſtris annis Tibi Tuos augeat Jupiter.

Quæ porrò hactenus facta ſunt , ab hominibus facta ſunt , ideo imbecilla, infirma, caduca; Ni divina mens æternum quid cogitâſſet & ſuis fidelibus inſinuaſſet. Sacrum Fœdus intelligo , à Chriſti Servatoris noſtri Vicario dictatum , ab Aug. Cæſare , Invictiſſimo Poloniæ Rege , & Serenifs. Republica Veneta exceptum , unicam arbitrio meo clavam, quâ frangi contundique queat barbarus hoſtis. Ut ſumma fide ſancitum, ſic ingenti omnium commodo , nullo violandum diſſidio, nullo tempore finiendum.

——————— *Paribus ſe legibus omnes*

Invicta Gentes æterna in fœdera mittunt.

Divini illius operis Antiſtites intueri feliciter mihi contingit, Excellentiſsimum D. Regis regnique Poloniæ Legatum Reverendiſs. Epiſcopum Præmislavienſem, D. JOANNEM STANISLAUM A SBOZIN SBOSKI, atque Excellentiſsimum D. Serenifs. Reipublicæ Venetæ ad Sereniſs. Poloniæ Regem Legatum, Equitem & Proc. D. Marci, D. ANGELUM MAUROCENUM, viros in tantum laudandos, in quantum Pietas, Virtus, Induſtriaque quemquam poſſunt extollere . *Ad ornatum Palatii* , inquit Theodoricus Rex apud Caſſiodorum , *credimus aptas dignitatibus perſonas eligere , quia de claritate ſervientium creſcit fama dominorum* . Illum quidem JOANNEM à Joanne miſſum, non impari aut beneficio aut ſucceſſu, ac Joannem miſſum à Deo : Hunc è cœlo Veneto non minori prudentia quàm felicitate electum ANGELUM, qui optima nunciaret hominibus bonæ voluntatis. Utrumque qui ſalutis cauſa miſſus, omnium unus commodis conſuleret, qui fœdus ſacrum aſſereret, indiſſolubiliter necteret, & æternùm confirmaret.

Marmoreum colebant Sabini ſimulacrum , viro muliere & intermedio puero exornatum ; Vir honorem , mulier veritatem , puer Amorem referebat, Legatorum profectò Symbolum, dum Honorem quem ſuſtinent, veritate Fideque confirmant, cœleſti exurgente inter ipſos Amore, Legati erga Principem, Principis erga Legatum, utriuſque erga Rempublicam.

Elegantiora canant alii, at ego conveniens huic loco argumentum nactus, animum gaudio redundantem non magis coercere potui, quàm aquas ſuas fluvius, qui patefacto extra ripas oſtio , objectaſque aggerum moles, in vicinos agros prorumpens effunditur.

D I X I.

AD

AD EXCELLENTISSIMOS LEGATOS

D. IOANNEM STANISLAVM
A SBOZIN SBOSKI,
E T
D. ANGELVM MAVROCENVM,
EPIGRAMMA.

SARMATICAS VENETVS cùm viſerit ANGELVS oras,

Legati rectè præſtiteritque vices.

SARMATICVS VENETAS ORATOR luſtrat arenas:

REGALI ANTISTES munere uterque ſuo.

1042.20
2

19957093